Duplicate
COOPER MEDICAL COLLEGE
San Francisco, Cal.
186

DE

DEMENTIA PARALYTICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PSYCHIATRICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

1867

JOSEPHUS BUZALSKI,

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

ZALUSKI, STUD MED.,

ROCHON, STUD. MED.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXVII.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

NEC MINUS

P. DE SKORZEWSKI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Qui versati sunt in psychiatria, compertum habent, multa hac de re scripta esse; tamen cum vix fundamenta psychiatriae iacta sint, crassis atque obscuris adhuc nebulis hanc medicinae partem circumdari, profiteantur necesse est. Ego autem, quamvis in morbis describendis tiro, tamen facultate talis morbi observandi mihi data, et ab H. Neumanno, viro celeberrimo adiutus, nonnulla memoriae prodere constitui. Totum hoc scriptum meum in duas partes divisi, quarum prior definitionem, aetiologiam, symptomata, therapiam, anatomiam pathologicam huius morbi declarat, altera casum a me observatum continet. — Dementia in numero ultimarum delirii formarum ponitur. Neumann, quem in morbis mentis dividendis sum secutus, his fere verbis dementiam definit. Dementiam appellamus ubi nullum sensorium, nullum iudicium, nullum consilium recte faciendi invenimus. — Dementia, quae cum paralysi coniuncta est, in definitione nihil a dementia supra explicata discrepat; paralysin enim in numero complica-

tionum huius morbi ponendam censeo. Dementia paralytica multo crebrius viros, quam mulieres opprimit; quin etiam Neumann, vir nostris temporibus magna auctoritate fruens, nunquam hoc morbo mulieres corripi affirmat. Utrum Neumann, an alii viri celeberrimi ut Calmeil, Bayle, Foville, Griesinger, qui in contrariam discedunt sententiam, recte iudicent, discernere non ausim. Recentiorum scriptorum Westphal, qui complures casus dementiae paralyticae memoriae prodidit, nullam mulierem hoc morbo affectam esse commemorat[1]). Cur saepius viri dementia paralytica vexentur, quam mulieres incompertum etiam est. Quorum tamen vita intemperans, qui immoderati in potu fuerint, eos praecipue ad dementiam paralyticam omnium mentis morborum esse proclives vulgaris est opinio. In regionibus, quae mitiori temperie coeli gaudent, dementia multo rarius invenitur, quam sub coelo aspero. Dementia paralytica ad summum tres annos tenet, quo temporis spatio praeterlapso, unumquemque hoc morbo laborantem, vita discessurum, inter omnes constat. Calmeil, Esquirol, Bayle nonnullos a morbo recreatos se vidisse contendunt. Novissimis temporibus Westphal sanitatis recuperatae exemplum affert[2]). Exempla tamen illa omnia comme-

---

1) Allgemeine Zeitschrift für Psychiatrie und gerichtliche Medizin durch Laehr. — Westphal, 20. Band, p. 1 etc. Ebendaselbst 21. Band, p. 375 etc.

2) Zeitschrift für Psychiatrie und gerichtliche Medizin, Laehr. — Westphal, 21. Band, p. 386.

morata, non satis dilucide esse descripta, verisimile est. Dementia haec nonnunquam pariter cum paralysi oritur; persaepe tamen fit, ut ad delirium paulo post paralysis accedat. Neque minoris momenti sunt casus, qui nobis paralysin, anteaquam delirium ortum est, declarant [3]). — Omnium organorum prima lingua afficitur. Aegrotus tali morbo laborans non potest expedite loqui; lingua eius nonnunquam contractiones spasmi instar praebet. Facultate loquendi tali modo mutata, aegroti incessus parum firmus ac constans invenitur, neque manus aptae, ut quidquam recte et accurate elaborent. Aegrotus in tali stadio ebrio simillimus videtur. In lecto cubans membra aegrotus movere quidem potest, sed ad motus efficiendos, multo maiorem vim, quam ii, qui bona valetudine fruuntur, adhibeat necesse est. — Morbo aucto nulli motus inveniuntur, neque ulla verba, quae tales infelices dicunt, intelligere possumus, nam ii omnia proterve atque ferociter loquuntur. Omnium sensuum adoratus et gustus primi morbo tentantur, sic ut aegrotus aquam ab aliis liquoribus distinguere non possit. Irritabilitas cutis nonnunquam mira symptomata praebet. Saepe enim fit, ut ea, paralysi orta, minui videatur; aegrotus vel vehementissimis doloribus vexatus, nullam vocem emittit. Multi tamen viri magnae auctoritatis, casus contrarios memoriae prodiderunt. Illi enim pro certo ponunt tan-

3) Conf. Westphal, 20. Baad, pag. 1 etc. und 21. Band, pag. 375 etc.

tam se hyperaesthesiam cutis, morbo orto, observasse, ut aegroti aliqua re tacti acerrimis convulsionibus tetano similibus afficerentur. Restat, ut de convulsionibus, quarum symptomata ab epilepsia haud valde discrepant, aliquid afferam. Aegroti nonnunquam subito corruunt, sic ut vix ulla vitae signa inveniri possint; quo malo praeterlapso aegroti aut vires recuperant, aut vita decedunt. — Malis corporis breviter expositis, pauca etiam de mentis turbationibus afferre mihi liceat. Melancholiae mentionem solum facere velim, nam ea raro comitatur paralysin; insania vero crebro cum paralysi coniuncta est. Habitus talium hominum haud valde differt ab habitu rabiosorum. Maximi tamen momenti est exaltatio, quae vulgo „monomanie des grandeurs“ vocatur. Nonnulli tali exaltatione affecti ditissimos omnium se esse declarant, alii totius orbis terrarum imperium se obtinere putant, multi diis se imperare atque totum mundum regere pro certo ducunt. Hac felicitate tamen non diu laetantur, mox sensus hebetes et tardi fiunt; aegroti nihil sensibus recte capere possunt, voces perplexas emittunt, nullam cibi et potionis cupiditatem habent; quapropter infantum instar cibum in os iis inseramus oportet. Postremo in cute ulcera gangraenosa, apostemata diffusa oriuntur, atque aegroti aut febri hectica, aut pneumonia brevi consumuntur. Multi nonnunquam per summum dedecus mortem sibi consciscunt. Therapia dementiae paralyticae nulla est. Nonnulli auctores, valde sollertes ferro candenti et hirudinibus in cervice

appositis, magnam doloris levationem effectam esse declarant. Ante omnia autem purus aër, munditia, cibusque viribus firmandis aptus, summi sunt momenti, ut talium infelicium vita aliquantulum iucundior fiat. —

Restat, ut, quae ad anatomiam pathologicam pertinent, in pauca conferam. Scriptoribus, qui nullam laesionem cerebri se reperisse putant, praetermissis, scriptorum celeberrimorum sententiae de anatomia pathologica dementiae paralyticae hae fere sunt: substantia corticalis semper emollita, atque cum pia matre arcte coniuncta, substantia medullaris indurata reperitur, sic ut in dubio relictum sit, duritiane, an mollitudo causa paralysis sit.

Atrophia cerebri, praecipue gyrorum crebro invenitur[4]) meninges liquore turbido impletae, nec minus ventriculi dilatati[5]). — Athrophia crebri fortasse magnam vim ad cystas, effusionem sanguinis efficiendum, habet. Medulla spinalis emollita est, locum funiculorum posteriorum tela gelatinosa tenet, sic ut vix cornua substantiae griseae a substantia medullari distingui possint[6]). Etiam atrophia medullae spinalis reperta est[7]).

---

4) Ducheck, Erlenmeyer — Anoia ex atrophia cerebri.

5) Zeitschrift für Psychiatrie und gerichtliche Medizin, Laehr. — Westphal, 20. Band, pag. 7 etc. Ebendaselbst 21. Band, pag. 377 etc.

6) Ebendaselbst Hoffmann, 13 Band, pag. 213.

7) Aerztliche Berichte über die k. k. Irrenheil- und Pflegeanstalt zu Wien in den Jahren 1853—56. Wien 1858.

Anatomia pathologica, quae omnino adhuc nebulis circumdata est, absoluta, iam rem institutam porro tractabo. Priusquam autem ad casum a me observatum declarandum accedam, sententias novissimas de dementia paralytica afferre mihi liceat. Westphal, qui nostris temporibus plurima exempla dementiae paralyticae memoriae prodidit, medullam spinalem sedem morbi esse affirmat, unde medullam oblongatam, postea cerebrum vexari. Ille vir paralysin, quae a tabe dorsuali pependerit, priusquam dementia in conspectum venerit se observasse affirmat[8]). Quapropter dementiam morbum secundarium, non primarium esse vult. Eadem sententia est H. Hoffmann. Hoffmann vehementer in libro suo sententias adversariorum reprehendit, sed ipse mullam in casu a se observato posuit diagnosim[9]). Symptomata tamen morbi et anatomia pathologica non differunt a symptomatibus, quae Westphal in medium protulit[10]).

Alio loco Hoffmann pachymeningitidem cerebrospinalem causam dementiae paralyticae fuisse censet[11]). Köhler meningitidem spinalem cum dementia paralytica coniunctam se reperisse affirmat[12]).

---

8) Zeitschr. f. Psychiat. u. gerichtl. Medic. Laehr. — Westphal, Bd 20, p. 1 etc. Ebendas. Bd. 21, p. 375 etc.

9) Allg. Zeitschr. für Psychiatrie, Damerow (Hoffmann). 13. Band, pag. 210 etc.

10) Conf. Westphal, Band 20, pag. 1, 7, 13, 14 etc. — Band 21, pag. 375 etc.

11) Ebendaselbst Hoffmann, pag. 112. —

12) Allg. Zeitschr. für Psych. Laehr. — Köhler. 19. Bd. pag. 109.

Summa eorum, quae illi viri explicaverunt, est: paralysin laesione medullae spinalis fieri, dementiamque paulo post accedere; qua orta hydropem ventriculorum inveniri, piam matrem turbidam et crassam videri. Sententiis illis praemissis, casum a me observatum nunc afferam, atque eius symptomata cum symptomatibus, et in parte prima descriptis, et a Westphalo demonstratis, pro viribus meis comparabo.

Status praesens. Aeger est praeditus brevi corpore, color oris est luridus, oculi carent splendore atque defatigationem magnam et languorem prae se ferunt. Statim intelligi potest, implicatum eum esse morbo gravi, cum eum ingredientem lente et tarde conspexeris. Aeger in eundo a comitibus adiutus, me ad se adductum arbitratur iam diu sibi esse notum, qui aestate ultima una secum in balneo fuerim; nam quasi somnio excusso interrogat me, an balnei usus mihi salutaris fuerit. Equidem, inquit, bona utor valetudine. Quibus verbis factis finem sermoni imposuit. In horto ambulans, ubi festinanter circumit, atque omnes adhortationes, ne celeriter eat, reiicit, bonam valetudinem atque corpus valde magneticum sententiis abruptis atque saepe iisdem verbis repetitis, celebrat. Quaerit ex me, an sit solum in hac regione ubique tam magneticum, quam in horto, an halitus balsamicus, quem percipiat, tota in regione sit. Iam vero interrogat me, cuius sit haec possessio; atque non commoretur responso meo: hanc esse domum ad aegrotos

sanandos aedificatam. Sed tamen non ita multo post quaerit ex me, quot aegros doctor N. curet. (Dr. N. fuit unus ex iis, qui ultimo tempore hunc hominem curaverant.) Nonne hoc institutum emere libet? Num pecuniam mutuam tibi dare mihi licet? An hoc loco officinam instituere velis. Si pecunia tibi deest, ego tibi suppeditabo. Denique aeger postulat, ut in conclave suum ducatur; postquam ei pro certo affirmavi comites suos brevi redituros atque ipsum secum abducturos.

1. Aeger per totam noctem tranquillum se praebuit; sed luce orta vehementer poscit, ut dimittatur; proficiscendum enim inquit, mihi est ad mercatorem N, cui opem feram oportet. Quod cum ei non concessum sit vi quadam et impetu in ianuam irruit. Post meridiem aeger insaniens, vitra complura, discos, sellas, abacum lavandi supellectilem continentem diruit. Qua re factum est, ut ad aliud conclave, cuius fenestrae munitae erant, deduceretur. Dum haec geruntur, aeger clamat atque custodes contumeliis onerat. Aeger aliquando in horto ambulans, cum alio aegroto, eodem morbo affecto, hos fere sermones confert: *J.* Mi amice, dic mihi, unde venias? morbo implicatum te esse credo. *O.* Minime, bona utor valetudine, sed saepe fame premor. *J.* Ingredere in deversorium publicum atque meo nomine cibum et vinum tibi dari iube. *O.* Afferantur modo disci, atque ego faciam, ut cibus tibi detur. *J.* Ego te sanabo, noli te movere, est enim in me magna vis magnetica. *O.* Tranquillum te

praebe, ego te sanum reddam. Si tibi placet, firmiter in me oculos converte. Tum brevi post „tu inquit nunc sanus es.“ — Abire tibi licet. — Num forsitam mecum in lunam proficisci vis? *J.* Num in coelum ascendere vis. Postquam *J.* saepe illius corpus manibus tetigit, uterque surgit et in horto ambulat. *J.* denique *O.* cogere vult, ut hunc locum relinquant. Cum autem hoc consilio custos eum prohibuisset, ira incensus minatus est, se eum in carcerem esse inclusurum.

2. Aeger est valde commotus, clamat canit, stragulum lucerat, femorum integumenta inferiora et interulam exuit, magno motu in lecto iactntur, aut sedet in summo lecto, tum ossa, tum brachia, tum plantas, tum totum corpus atterens. Interrogatus, cur hoc faciat. „Mihi quidem“ inquit, vires vitales excitandae sunt, atque plantas ostendens in his et vitae robur. Sine me plantas porro atterere neve sis mihi impedimento. Atque cum non statim a conspectu eius recesserim, ira incenditur, atque iritatus exclamat; Mi amice, iterum tibi dico, abi, noli mihi molestus esse.

4. Aeger in dies irritabilior fit, sic ut graviter ferat, quum in conclave eius intraverim. Nunc non solum ei impedimento sum in ossibus et brachiis terendis, sed etiam tum dicit matrem suam esse sub pulvinari in tabulato posito, tum Deum in uno ex femoribus esse affirmat, in altero sororem snam, quibus vires se dare ossa terentem. Interdum vero aeger vehementer postulat, ut dimittatur, quoniam

sibi sint negotia curanda, atque in talibus momentis spasmi in modum corpus erigere conatur.

10. Aegri conditio multo peior facta est, etenim saepius sum eum dicentem audis: Ego sum Deus, ego sum imperator [13]). Aeger plerumque faecibus se inquinat atque corpus eius terendo laniatum multis partibus furunculis et apostematibus affectum est, idque in tibiis, in femoribus, in osse sacro, in cubitis, in humeris [14]). Quae ulcera aegro lauto, meliorem habent conspectum quam antea. Ceterum cutis non est perforata nisi in extrema dextri genu parte. Inde ab hoc tempore aegrum vires magis magisque deficiunt. Iam vero brevi post apostematibus incisis magna copia puris male olentis exprimitur; aegrotus non minus hallucinationibus auditus affectus esse videtur; crebro enim homines auxilium ab ipso petentes videre se affirmat.

24. Cum aegrotum mane salutavissem, brevi convulsionibus epilepsiae similibus affectus est [15]). Circiter ad meridiem aeger vires recuperat, sed post meridiem valde commotus est.

25. Per totum diem aeger magis tranquillum se praebet; sopor est modicus. Sed tamen interrogatus respondet; coenat libenter. Postquam praeterea vesperi aeger valde turbulentus fuit, neque quidquam edere voluit, praeter consuetudinem ab

---

13) Conf. Griesinger, Patholog. und Therap. der psych. Krankheiten. pag. 284.

14) Westphal, 20. u. 21. Band. Griesinger 285.

15) Conf. Griesinger. pag. 283.

imo pectore suspiria ducit, sic ut custos aegri conditione perterritus me accessat. Ego accessitus, statim aegrum morte conflictari intellexi. Neque spes me fefellit. Etenim eadem vespera post horam undecimam defunctus est. — Obductio post horas triginta sex facta est. —

Statura humilis, corpus exiguum, magna ex parte putrescens. In superficie anteriori tibiarum, ulcerum crustae, in superficie inferiori scroti gangraena superficialis. Musculi integri.

A. Situs thoracis. In sacco pleurae dextrae paulum liquoris rubri et turbidi invenitur. Saccus pleurae sinistrae non est affectus. Cordis musculi laxi, in atriis multum fibrini coagulati, margines valvulae bicuspidalis et valvularum semilunarium aortae crassi. Valvulae aortae singulis locis formam fenestellarum praebent. Ubi aorta oritur adeps atque allevationes gelatinosae reperiuntur (atheroma)[16]), intima magna ex parte perforata. Tricuspidalis integra. Valvulae arteriae pulmonalis tenues et pellucidae, pulmonalis ipsa intacta. Pulmones tumescentes sanguine sunt impleti, in bronchiis multum liquoris spumosi est.

B. Cavum abdominis. Splen cum parte inferiori diaphragmatis arcte coniunctus, textura eius in pultem rubram mutata. Renis sinistri parenchyma languidum, exsangue, substantia corticalis turbida, substantia medullaris illaesa. Ren dexter eiusdem

16) Conf. Wesphal. 20. Band, pag. 7.

modi. Glandulae suprarenales atrophia affecti. Membrana pituitaria ventriculi exsanguis. Prope cardiam et partem superiorem duodeni ecchymoses conspiciuntur. Ductus biliferi et hepar intacti. In parte superiori ieiuni crebri ecchymoses, quae in ileo in oculos non incurrunt, reperiuntur. Membrana pituitaria intestinorum tenuium valde pallida, intestinorum crassorum sana. Glandulae retroperinales colorem nigricantem praebent. Vesica urinaria et testiculi integri.

C. Cavum Cranii. Cranium symmetriae non respondet, nam ubi os parietale cum osse frontali iungitur, cranium impressum est. Ossa parietalia prope suturam sagittalem extenuata sunt, in superficie interna cranii planae foveae, quae ossibus parietalibus extenuatis respondent. In illas foveas cerebrum proiectum est. Dura mater modice sanguine impleta, sutura sagittalis ipsa nullas commutationes praebet. Ubi fovea dextra reperitur lamina rigida in conspectum venit; quo loco dura arcte cum cerebro coniuncta est. Pia et arachnoidea, quae ibidem valde crassae sunt, granulationes parvas ad duram mittunt. In media basis cerebri parte pia mater gelatinae similis et valde turbida reperitur. Commutatio illa usque ad fossam Sylvii pertinet. In spatio subarachnoideali multum liquoris turbidi. Nervi olfactorii atrophia laborantes gelatina obducti. Reliqui nervi et arteriae basis cerebri integri. Pia facillime a cerebro solvi potest. Substantia hemisphaeriorum cerebri pallida, exsanguis,

praecipue substantia corticalis; substantia autem medullaris magna ex parte emollita. Tela corporis callosi valde laxa et glutinosa, fornix fere pulti similis, glandula pinealis plena acervuli cerebri. Ventriculi dilatati liquore turbido et rubro impleti sunt [17]). Vasa corporis striati dextri multis partibus dilatata. In corporibus quadrigeminis substantia glutinosa invenitur. Hemisphaeria cerebelli illaesa sunt, medulla oblongata integra. Vasa pontis dilatata. —

Lamina illa rigida supra commemorata, nihil aliud est, nisi parenchyma durae in os mutatum. In fossa occipitali inferiori os acuminatum prominet. Sinus transversus plenus fibrini coagulati, parietes crassi formam verrucarum praebentes. —

Dura medullae spinalis non commutata, arachnoidea et pia turbidae. Spatium arachnoideale plenum liquoris rubri, nec pia a medulla spinali solvitur. Substantia corticalis et medullaris magnopere emollitae, sic ut incisione facta erumpant [18]).

Constitutionem supra declaratam praecipue pars cervicalis et thoracica medullae spinalis praebet, ubi medulla in pultem fere commutata est. Casu hoc descripto et cum aliis comparato, satis dilucide apparere puto, paralysim anteaquam dementia orta sit, laesione medullae spinalis effectam esse; demen-

---

17) Conf. Westphal, 20. u. 21. Band. Die pathologische Anatomie.

18) Conf. Westphal, 20 u. 21. Bd., pathologische Anatomie. 13. Bd. pag. 213.

tiam autem, cerebro multo post violato, in conspectum venisse atque ab hydrope ventriculorum pependisse. An dementia sine ulla medullae spinalis laesione oriri possit, in dubio etiam relictum est.

VITA.

Natus sum Josephu Buzalski patre Floriano, matre Catharina e gente Fröhlich in pago Godawy, die XVIII J. anni MDCCCXLI; parentes ut diutissime Deus optimus maximus vivos salvosque servet, pia mente precor. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium Tremesnense per decem annos frequentavi. Autumno anni h. s. LXI sub auspiciis viri illustrissimi Dr. Szostakowski testimonio maturitatis instructus almam petii litterarum universitatem Gryphiswaldensem. — Per unum studiorum semestre praeceptores mihi fuere viri Illustrissimi, Celeberrimi, Experimentissimi Budge, v. Feilitsch, George, Hünefeld. Münter, Schultze. — Deinde universitatem litterarum Viadrinam adii et horum virorum Illustrissimorum, Clarissimorum, Experimentissimorum per octo semestria scholis interfui: Aubert, Barkow, Cohn, Freund, Grosser, Haeser, Heidenhain, Lebert, Löwig, Meyer, Middeldorpf, Spiegelberg.

Quibus viris omnibus optime de me meritis, gratias ago quam maximas. —

Iam tentaminibus, quum physico, tum medico, nec minus examine rigoroso superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Remedia quam simplicissima sunto.

II.

In typho abdominali lavationes frigidas maximi esse momenti contendo.

III.

Nullus morbus mentis, quin pendeat a laesione corporis.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Remedia quam simplicissima sunto.

II.

In typho abdominali lunationes frigidae maxime
esse nonnisi cautelae.

III.

Variolas morbus mentis, quia pendent a laesione
corporis.